

XVII, 472.

L. N.

DE NON

TEMERE CALVM

nñs credendo, Breue

scriptum Viti

Ennñ.



Norimbergæ apud

Ioh. Petreium,

1549.

VITVS ENNIVS ADO-
lescenti nobili, & magna dignitate prædi-
to Erkingero à Rechenberg huma-
narum literarum studioso.

S. D. P.



C I S Erkingere charissime, quan-
to amore, & benevolentia cum
propter suauitatem ingenij, tum
etiam mirificam indolem uirtutis, ha-
ctenus te profecutus sim. Nam adoles-
centem ex nobili præsertim, & illustri fa-
milia natum nihil magis ornat, & com-
mendat, quàm summa ingenij indoles, ac
uirtus, quæ duo in te meritò suspiciunt
omnes, & admirantur. Sed quia mag-
nam expectationem tui iam in tenera
& florida ætate concitasti, eam ut susti-
nere, ac tueri possis, etiam atq; etiam ui-
de, id quod te facturum equidē minime
dubito. Tum etiam ad id patris uiri om-
nium clarissimi benignitatē tibi non de-
esse uideo, ut liberaliter institutus, & edu-
catus non solum generi tuo uniuerso hon-
nori, & amicis utilitati, sed etiam Reipub-
licæ aliquādo emolumento esse possis.
Hæc itaq; cum reputarem, & mecum se-
mel atq; iterum ac sæpius cogitarem, nul-
la proz

la prorsus ambitione ductus, hoc scriptū
de Calumniā, quamuis non sit ingenio,
& doctrina perpolitum, quorū utrumq;
mihi deesse molestē fero, sub nomine tuo
Erkingere charissime edere uolui. Sed id
mihi duplici de causa faciendum putauī.
Primo: ut pater tuus Mecœnas studioso
rum liberalium artium studia mea pro-
pter te haberet quā commendatissima,
Si iterum cerneret hanc meam qualem-
cunq; industriam, & pios conatus, quos
nemo nisi calumniator quispiam, aduer-
sus quem non est ullum remedium, uitu-
peratione reprehendet, deinde uerō, ut tu
quoq; ex his ineptijs, in quibus Lucianū
imitatus sum, aliquem fructū auferres.
Nam cum non dubium sit, quin (deo uo-
lente) olim patri tuo obseruando in Re-
publica sis successurus, & partes eius su-
scepturus, inde discere potes calumniato-
ribus non temerē fidem habendam esse.
Fieri enim non potest, ut ille fœliciter im-
perium gerat, qui aures mentemq; turpis-
simo calumniatori statim patefacit, eiq;
frustrā assentitur. Quare (si uicissim me
amas) id, quicquid sit nugarum diligen-
ter lege, rumina, ac æqui boniq; consu-
le. Data Noribergæ. DE

DE NON TEMERE CALVMNIIS
credendo. Vitus Ennius.

*Mala Igno-
rae.*



Es ualde pernicioſa, & pestifera eſt ignorantia, cum ea nihil magis hominibus nocere uideatur. Nam non modo communi uitæ tenebras denſiſſimas offundere, & cognitionem ueritatis obliterare, ſed etiam priuatas ſingulorum rationes miſcere, atq; perturbare ſemper ſolita eſt, ut experientia teſtatur & quotidiana exempla. Vnde plena eſſe errorum omnia, & homines perinde, ac qui in tenebris errant, imò haud aliter quã cæcos iam huc, iam illuc impingere uidemus. Deniq; quicquid ferè malorum accidit, ab ignorantia quaſi Tragico Deo proficiſcitur, ita ut nihil tam optandum ſit.

fit, quam ignorantia nos prorsus ca-
rere, eamq; sublatam esse.

Quod si esset, certè non in tot tan-
tisq; erroribus uersaremur, neq; in
tam multas, & Tragicas calamitates
incideremus. Nam facile possemus
non modò uerum à falso discernere,
sed etiam multo antè futuram tem-
pestatem prospicere, quod quàm sit
imbecilli captui nostro difficile, & ar-
duum, nemo est, qui inficiari queat.
Ignorantia autem, cum sit alioqui
res perniciosissima, & calamitosissi-
ma, maximè nocet tum demũ, quan-
do in calumnias familiares, & mu-
tua inter se amicorum crimina inci-
dit. Hinc enim intestinis dissensionibus,
& dissidijs res domesticæ ciui-
tatesq; funditus euertuntur. Hinc
in filios interdum crudeliter sæuiūt
parentes, filij rursus insidias moliun-
tur parentibus, frater fratri infestus
a 3 est,

est, amicus item ab amico diuellitur
atq; distrahit. Imò nihil est tā firmū,
uel munitū, quod calumnia artificio
se excogitata nō expugnare possit.

Ideoq; quid, & qualis nam sit ca-
lumnia, unde ducat originē, & quan-
tum ad nocendum habeat uirium,
atq; momenti, ne ei temerē creda-
mus breuiter demonstrare, & quasi
oculis subiicere conabor.

Es 226
Nulla autem definitio (ut inde
sumam initium) melior & pulchri-
or calumniæ tradi potest, quàm que
extat apud Lucianum his uerbis:

Calumnia
gd 5
Εἰς διαβλήν κατηγορία τις, ἐκ ἐρημίας γυνομέ-
νη τὸν κατηγορούμενον λεληθῆα, ἐκ τῶ μονομέρους
ἀναντιλέκτως πεπιστευμένη. Id est, Calum-
nia est delatio e mentita odio, clancu-
lum reo, calumniatori credita, dela-
to ad respondendum non admissa.
Quæ definitio perinde atq; comi-
cum argumentum tribus constat,
Dela-

Ab. Calumniari ē fallere & mentiri.

Delatore & Delato, ac auditore calumniae.

*Delator
7d.*

Primum autem locum obtinet author Calumniae, quem uirum esse se minimè pium ac bonum nemo ignorat. Nam manifesta, & immutabilis uox dei est, ne peccata contra legem ipsius sacro sanctam Mosi in monte Sinai traditam committamus. Sed quia pugnat cum octavo præcepto calumnia, quod uetat, ne fraude, & per calumnias alij lædantur, nulla sanè pietate ille Deum collit, qui criminibus inferendis delectatur. Pietas enim est iustitia erga Deum, à qua ille prorsus alienus sit oportet, qui temerè audet legem diuinam uiolare. Deinde qui malitiosè aliorum dicta, & facta interpretatur nō modò aduersus Deum immortalem peccat, eumq; grauissimè offendit, sed etiam in singulos

2 4 ami

amicos, ita ut tam erga deum, quàm
erga homines iniustissimus merito
habendus sit. Iustitia enim cernitur
in suo cuiq; tribuendo, ex qua una
uirtute boni uiri appellantur. Sed
quomodo obsecro ille amico tri-
buit? quod debet, qui non timet fal-
sos, & inanes de alijs rumores spar-
gere, absentibus detrahendi causa
cū tumeliosè maledicere, eosq; clam,
& miris technis, quando id nullo
modo decet, criminis accusare, cum
uiri boni sit candorem ueritatēq;
in omnibus dictis, & factis adhibere,
amicum non solum non repræ-
hendere, carpere, & calumniari, sed
etiam in rebus suis ei non impedi-
mento esse. Debemus enim eodem
modo erga amicum affecti esse, quo
erga nosmetipsos, eorumq; gratiā,
& fauorem studio bene merendi no-
bis conciliare. Vnde Achilles, qui
sum

summam præ se tulit ingenuitatem,
& candorem, apud Homerum non
immeritò dixit, hūc se magis odisse,
quàm portas inferorum, qui aliud
clausum in pectore, aliud in lingua
promptum habeat. Sunt autem hi
uersus Homerit:

Εχθρὸς γὰρ μοι κείνος ὁμοῦς εἶδαο πύλῃσιν
ὅς χ' ἔτδρον μὲν κενθῆ ἐνὶ φέσιν ἄλλο δὲ εἶπη.

Propterea statuamus eos, qui per
inde atq; Diabolus (ille enim à ca-
lumniando nomen accepit) alijs ca-
lumniam, & infamiam inferunt, de-
bere ipsis magis restitutionem fa-
mæ, quàm bonorum, qui furtum
commiserunt, id quod iustissimè à
Iurisconsultis legibus sancitum est.
Nam inter bona externa præcipuū
est bona existimatio, sicut sacræ lite-
ræ monent, ut curā nominis, quod
præstantius sit mille thesauris, ha-

a 5 tis

NB.

Lat.

Bond fa-
mie nob.
litz.

NB.

*sibi favorem
Alijs odium gerere cogitat.*

tis fieri pro furto, quàm pro calumnia posse videtur.

Porro qui alium defert, siue clam absentem maledictis infectatur, æqualitatis metas egreditur, cum iusticiæ sit æqualitatem servare, iniusticiæ verò æqualitatem transgredi. Studet enim is nimium sibi prava assentatione conciliare benevolentiam auditoris, ut excitetur acerbissimum odium aduersus eum, qui defertur. O iniuriam insignem, & non ferendam optimorum etiam legumlatorum iudicio apud Ethnicos Solonis, & Draconis, qui Athenienses coegerunt dare iusiurandum, ut pari benevolentia gratiaque rei, & actoris causam apud eos iudex cognosceret, & diligentissimè perpenderet. Nam scelestum, imò crudele iudiciū esse facile intelligitur, si quid in alterutram partem iniquè statuatur,

Utraq; pars e audienda.

tur, antequàm causam utramq; Iu-
dex probè cognouerit. Itaq; Alex-
ander Magnus ualdè laudatur, qui
cum in causis capitalibus ius dice-
ret, orante accusatore, altera manu
aurem solebat occludere, ut ipsa reo
integra seruaretur. Quid enim Re-
ge indignius, quàm aliquem causa
incognita cōdemnare? Vtinam hoc
Alexandri Regis exemplum om-
nes sibi imitandum proponerent,
qui ludicis officio funguntur. Nam
si hoc fieret, non tot multi à poten-
tioribus in iudicio iniustè premeren-
tur, quibus resistere tenuiores non
possunt. Verum hoc genus homi-
num, qui criminatione in absentes
utuntur, adeo plenum formidinis
esse apparet, ut nihil audeat apertè
palamq; dicere. Sed perinde, atq;
qui ex insidijs transuersi hostem in-
uadunt, ex abdito, & occulto specu
alicun-

Mans. Poppo.
Ex insidijs agunt.

alicundè iaculatur, ut non sit, qui cō-
trà uel mittere telum, & manu con-
tendere possit, & ignarus aduersa-
rii, ex improviso pereat. Hinc facile
iudicare possumus, in calumnia ni-
hil prorsus inesse ueri. Sed eam ple-
nam esse fraudis, & insidiarū. Nam
qui delaturus quempiam sibi con-
sciū est ueritatis, cum qua calum-
nia tanquam ex diametro pugnat,
dubio sine omni palàm audet aduer-
sarium alloqui, emendare, & corri-
gere purgationemq; admittere. Etsi
enim interdum uera, & manifesta
sunt, quæ in alios dicuntur, tamen
quando conuitia erumpunt, aut ex
naturæ uanitate, aut aliquo morbo
animi, ut uel ille non emendetur,
qui accusari solet, uel cōsulatur alijs,
non modo ingens est stoliditas, sed
etiam maximum, & horribile pecca-
tum, petulantem linguam non fre-
nare,

*Calumnia ē stoliditas &
inopia.*

nare, cum prorsus neminem, iuxta
Domini nostri Iesu Christi præce- *m ubi?*
ptum atq; mandatum, è suis mori-
bus temerè iudicare debeamus.

Non est autem, quod quispiam
ineptè sentiat, me dicere de ipso offi-
cio iudicis, aut præconis uerbi diui-
ni, quibus non prohibitum, imò se-
rio iniunctum, ac mandatū est sum-
morum, pariter & infimorum deli-
cta & scelera reprehēdere, atq; dam-
nare. Nunc enim sermo est de calum-
niatoribus, qui de fama aliorum,
quæ uerè sola gloria nominari po-
test, clam, & malitiosè detrahunt.

Eiusmodi homines nunc maxi- *In Aulis*
mè in aulis uersantur, qui sibi & as- *Doct.*
sentari, & calumniari omnia impera-
uerunt. Vnde ibi nihil non miserū,
triste, tragicum & calamitosum esse
uidemus, sicut eleganter uita aulica
similis esse dicitur, libris Tragœdia-
rum,

rum, qui extrinsecus sunt ornati au-
ro, & serico, intrinsecus uerò conti-
nent res tristissimas de miserijs, &
uarijs casibus rerum humanarum.
Nam aulica uita foris uidetur esse
splendida, intus uero infinitæ sunt
miseriæ, atq; ærumnæ, quarum as-
sentatio nec nō calumnia unicū prin-
cipium est, atq; origo. Hæc duo e-
nim ferè semper cōiuncta sunt, cum
nihil aliud calumniator peruersus
moliri uideatur, quā assentione cor-
rumpere animū auditoris (id quod
paulo ante dixi) ut concitetur odi-
um aduersus eum, qui defertur. Sed
cum in aula alter alterius uitam sin-
gulari studio obseruet, nimiumq; in-
tueatur, ut sit in promptu, quod re-
prehendi, & uituperari possit, facile
si quis est simplex, & probus euer-
tur, illuditur, ac ignominiosè exter-
minatur, uerum enim est illud poe-
tæ:

ta: Probitas laudatur, & alget. Et
exeat aula qui uult esse pius.

Non est autem tam facile (ut qui
dam opinantur) studium obtrectan
di, cum opus sit arte multiplici, so
lertia agendi cogitandiq; peculiari,
& magna diligentia ad persuaden
dum auditorē, ut fidem adhibeat, &
assentiatur. Alioqui enim rerum do
mina & regina ueritas nunquam
quasi superari posset, nisi author Ca
lumniæ probabili argumento, &
mille fraudibus instructus esset ad
fallendum, qui aures suas ei pate
fecerit.

Hactenus de calumniatore, quē
neq; pius, neq; iustus esse, & in au
lis plurimum spectari satis superq;
me dixisse arbitror, nūc paucis eti
am perstringam, personam ipsius,
qui deferri, aut accusari solet.

Struit autem Calumniator ple
runcq;



runq; insidias, qui aut fortuna, aut dignitate, aut honore præstantior. Nam inuidetur maximè laudi, gloriæ, atq; honori, & commodis aliorum, ita ut singuli in hanc curam potissimè incumbant, sublimem istum possessione honoris, dignitatis suæ atq; bonorum pellere, & ab amicis alienare. Nam quemadmodum olim, si quis ingenuus, nec non Robustus, & exercitatus ad Olympiacū uenisset cursum, eum, qui cū erat certamen, non astu, & fraude anteuertere, & superare operam dabat fretus uiribus agilitateq; corporis, cōtrà uero si quis non perinde robore ad cursum ualeret, hoc unicum spectabat, & intentus agebat, ut currentem callidè, ac astu impediret, intercluderet, aut alio modo uinceret ita etiam ille, qui aut honore aliquo excellit, aut habet foelices successus, & flo



& florere incipit, in medias conti-
nuò labitur insidias, & incautus ab
æmulis captus discerpitur. Hi dein-
de amari, coli, amici esse uidentur
uel ob unam hanc causam, quod
probris uersutia sua detestanda dam-
num dederunt. Propterea (id quod
modò attigi) nihil non experiun-
tur, nihil intentatū relinquunt, imò
omnem mouent lapidem, ne exper-
tes ueritatis esse uideantur. Est em̄
ueritatis simplex oratio, & talibus
fucis, ac superuacaneis ornamentis
uerborum minimè eget, ut uenustè
Euripides ait:

Ἀπλῆς ὁμυθὸς τῆς ἀληθείας ἐφυ,
Κοῦ ποικίλων δεῖτ' ἀνθρώχ' ἐρμῶν ἐυματῶν.
Ἐχει γὰρ αὐτὴ καιρὸν, ὁ δὲ ἀδίκος λόγῳ
Νοσῶν ἐν αὐτῷ φαρμάκων δεῖτ' ὀφῶν.

Meritur igitur cauendum est,
ne hominibus eiusmodi uersutis, &
ueteratoribus aures pate faciamus,
quorum oratio ad alterius non mo-

b do

He φρεσιν
αυτων Cal.

do sensum, ac uoluntatem, sed etiam
am uultum, & nutum facile conuer-
titur. Nam si norint auditorem esse
Zelotypum, annuit, inquit, alius,
qui nominatur, coniugi tuæ inter es-
pulas, & defixis in eam oculis alto
suspiria pectore duxit. Coniunx ui-
cissim illi blandè arrisit, ac uoce, &
gestu clandestinam significationem
amoris dedit. Verum si auditorem
sciunt esse religiosum, aiunt, en ille,
uon uera de pietate, de Deo immor-
tali sentit, ipsumq; negat dominum
esse omnium rerum, ac modetore,
& optimè de genere hominum me-
reri, ac ei potissimè cōsulere, deniq;
sacra impiè detestatur. Postremò si
audiens habetur fautor, & Mecœ-
nas studiosorum liberalium artium,
Delator pedibus manibusq; obni-
xè conatur, ut illis incommodet, ei-
us promissum, & receptū interuero
cat,

Pseudothorax. No.

tat, ac potius ad se transferat, Ideo
ubiq; occasiones diligenter obser-
uat, & si potest, leuem aliquam cau-
sam capit, ut eiusmodi studiosis, qui
bus res angusta domi est, omnem
aditum, spem, præsidiumq; patroni
intercludat.

Ex his breuiter dictis facile in-
telligi potest, quis defertur, uideli-
cet, cui propter uirtutis dignitatisq;
præstantiam, & prosperam fortu-
nam inuidi aduersantur. Quo fit, ut
Calumniatores, astu, & miris fraudi-
bus amicum funditus euertere uehe-
menter laborent. Idq; magis ex qua-
dam maleuolentia, & acerbitate na-
turæ, quam iusta causa faciunt.

Postea auditor, ad quem tam
uerisimiles sermones, & accusatio-
nes deferuntur (ut quiuis facile cre-
dere potest) quasi œstro percitus,
ira, & stomacho exardescit, & ami-
cum

Nb.
degen
N.

Ca Cal
- Nb.

Audito
ris am
ing.

b 2 cum

cum re ipsa non explorata dimittit.
Nam qua parte impuri isti sciunt a
liquem præstare, hanc criminis re-
am potissimè faciunt, & suis iaculis
trañciunt, ne auditor eum, in quem
calumnia illata est, admittat, seq̃ in
eo audiendo facilem & promptum
præbeat.

Sed incredibile est, neq̃ ullus
oratione complecti potest, quàm in-
structa sit, quantumq̃ ualeat Ca-
lumniæ facies, si quandò cum cupi-
ditatibus auditoris certare uidea-
tur.

Quondam Apelles ab æmulo
quodam artis apud regem Ptole-
mæum coniurationis, quæ in Tyro
authore Theodora facta erat, falso
insimulatus ad supplicium innocen-
tissimè raptus fuisset, nisi quidam e
coniuratis, qui capti tenebantur, in
foelicis Apellis misertus eum iniu-
ste

*extm Apellis, ab æmulo
trahi.*

ste reum haberi probasset. Adeo
rex, alioqui non satis animi compos,
indignatione, & ira commoueba-
tur, qui cum ueritatem expertus es-
set, Apellem centum donatum talen-
tis dimisit, calumniator Antiphilus
in turpem seruitutem traditus est.

Præterea innumerabiles alij, a
pud eos, quorum mens cupida erat
ad credendum, malè accusati, poenā
mortis (id quod Ethnicorum scri-
ptis memoriæ proditum est) persol-
uere coacti fuissent, nisi ueritas tan-
dem pate facta esset, quàm non im-
merito quidam ueterum poetarum
filiam temporis uocare solitus est.
Nam etsi ueritas multorum impro-
bitate depressa latet aliquandiu, ta-
men extinguitur nunquam, sed tem-
poris progressu iterum in lucem e-
mergit.

Inspiciamus autem potius ex
b 3 exemplum

Vis Cal

*Sturva
al. qo.
Nordl.*

Exemplum Josephi.

emplum Ioseph filij sanctissimi pa-
tris Iacobi, quē in Ægypto adulterij
accusatū, aliquot annos in custodia
Pharaonis fuisse, sacræ literæ testan-
tur, ut tanquā reus adulterij poe-
nas pateretur. Coniunx enim Poti-
phari, sub quo Ioseph uenundatus
à fratribus, seruitutem seruiabat, eū
ob egregiam formam ad concubi-
tum, cum maritus esset absens, ali-
quoties sollicitare ausa est. Sed quia
Ioseph erat iustus, & Domino suo,
qui ei abiens rem omnem familiāq;
commendauerat, admodum fidelis,
mulieri pessimæ in re pessima, & sce-
lere nefando morem gerere noles-
bat. Quare cum apprehendisset ip-
sa lacinias uestimenti eius, ut se tur-
pistupro pollueret, relicto pallio Ioseph
abhorrens protinus fugam de-
dit. Mulier uerò scelestā, atq; peruer-
sa mirandum in modum exclamat,
adue-



adueniunt festinanter domestici om-
nes spectatum, quid accidisset. Ipsa
multò secus rem narrat, uidelicet,
quod iuuenis ille Hebræus sibi per
uim stuprum inferre uoluisset, cuius
ius pallium in argumentū fidei do-
mum reuerso marito ostendit. Cū
autem mulieres facilè suis uiris ali-
quid persuadere possint, Potiphar
alioqui nimium credulus uxoris ser-
moni statim fidem tribuens se lupo
ouem commisisse existimauit, & Io-
seph uinctum, quantumuis licet eū
mirificè dilexisset, ira incensus in car-
cerem regis pro Moecho duci man-
dauit, ubi ei semper magna cura, &
timore expectandum fuisse mortis
supplicium, non est quod dubitemus.
Sed cum aliquando in quiete
rex somnium habuisset de septem
bobus opimis deuoratis ab alijs se-
ptem macie extabescentibus, & se-
ptem

b 4 ptem

ptem spicis pulcherrimis pullulantibus in culmo deuoratis similiter ab alijs septem ex stipula ortis, & uerdine percussis, nullus sapientum, ad quos miserat, illud interpretari potuit. Pincerna autem regis tum deum reminisci, & recordari coepit, quod Ioseph sibi atq; pistori olim in carcerem coniectis, uisa somniorum interpretatus esset, & euentus paulo post respondisset. Propterea regi rem omnem narrauit, quo audito Ioseph statim e carcere eductus, & accersitus Pharaoni somnium interpretatus est. Quid multa? Ioseph summis honoribus auctus a Rege ilico factus est primus, ita ut uehertur curru per urbes Aegypti pracone iussu regis praedicante, omnem populum coram ipso genua debere flectere, eiq; obedientiam tanquam regi praestare. Videmus itaq; quam inique,

inique, & falso à coniuge nefaria
Potiphari ducis, atq; principis exer-
citus Pharaonis Ioseph accusatus
sit, de quo planè actum fuisset, nisi
deus præter omnem spem opinio-
nemq; tandem eum liberasset, & in
summa dignitate collocasset.

Plura autem exempla sacrarum
literarum recensere supersedeo, cū
ex uno isto, quod modo attuli, pers-
picuum sit, quanta mala, pericula,
& quantas calamitates eiusmodi pe-
stiferum genus calumniatorum in-
nocētissimis hominibus nefariè mo-
litum sit, quoties auditores cupidè,
& temerè crediderunt.

Arma calumniatoribus aptissi-
ma sunt aduersus absentes, qui defe-
runtur, fallacia, mendacium, periur-
rium, supplicium, impudentia, &
omnium longè efficacissima assenta-
tio Calumniæ cognata, imò soror.

b 5 Nam

Asperitas Jovis Calumniæ

Nam nemo hominum tam generoso, & sublimi pectore est, qui cum calumniæ fidem tribuat, non item assentatione vincatur. Omnes enim sibi ipsi nimium favere, seque furtim admirari videmus, atque experimur. Indè accidit, ut statim, & sine ullo negotio contra absentem superior sit, cui nemo resistit, & repugnat. Nam auditor erigit aures, & animum attendit, quasi res magna, & fide digna agatur, ac ignarus est omnium insidiarum, & fraudis, qui clam defertur. Non enim aliter, qui absentes nefarie accusari solent, pereunt, quàm qui captis civitatibus dormientes trucidantur. Et quod est in primis miserum, atque miserandum, nescius se reum haberi, & sibi conscius, à se nihil commissum esse, amicū candidè accedit, familiariter compellat, facitque usitato more, iam multo antè

*Ego ad. 37. In.
Hauffium.*

accusatur qd agat.
& Auditor.
antè undiq; fraude, & insidijs circumuentus. Tum ille si homo est ingenuus, iram simultatemq; deponit, & petit ab amico propter maledicta in ipsum frustra congesta sibi ueniam dari. Sed si est præposterus, & peruersus aliud animo sentit, aliud simulatione ostentat, quo nihil iniustius, tetrius, nec foedius excogitari potest. Nam qui non apertè odit, sed fronte occultat sententiam, facit, ut eum neq; metuere, neq; cauere quisquàm posse uideatur.

95.
95.
auditor.
obj.
At obijciat quispiam. An non fide dignus est uir bonis moribus præditus, siue honestus, qui alterum accusat? non licet tali auscultemus, qui à nefario scelere se abstinere solitus est? Age, inquam est ne aliquis Aristide iustior, aut probior, ille tamen aduersatus Themistocli contra eum populi animos excitare, & inflam-

inflammare non dubitavit. Etsi enim Aristides erat alioqui uir iustus, & integer, tñ ut homo felle non carebat, sed alios amore, alios odio prosequēbat. Sic etiam Themistocles, & Miltiades multis rebus præclare & foeliciter gestis suspitione proditiōnis notati fuerunt. Deniq̃ eiusmodi exempla infinita extant, quorū pleraq̃ omnibus nota, & manifesta sunt. Vir itaq̃ prudēs nequam debet sermonibus perniciosis istis calumniatorum aures suas patefacere, sed ianitore sedulo ac fido adhibito ratione scilicet, & iudicio animi recte dicta quasi apertis foribus excipere, & meras nugas obdito pefulo arcere. Quid enim uiro prudente præsertim in Republica uersante indignius? quàm aures, & mentem unicuiq̃ patere, cum perridiculum esset datum ædibus ianitorum

rem

*Nb. 9
H.*

*Remedi
um.*

rem officium non facere, atque ne-
gligere.

Quare si quando tale quiddam
calumniarum audieris, ne persona
delatoris, ne autoritate & fama ip-
sius, ne accusationis acrimonia, quæ
omnia nihil faciunt ad rem commo-
ueare. Verum ea quæ ab accusato-
re eiusmodi uehementer, & acriter
dicuntur, certo iudicio ponderanda
sunt. Nam ueritatem diligenter no-
biscum examinare, & partes suas da-
re calumniatoris quoque inuidiæ, ac
odio, denique, quod utrinque argumen-
ta suaserint, statuere debemus. Po-
stea uel amare, uel odisse, quem ex-
plorauimus, liberum, & in nostra
potestate est. Hoc uero priusquam
factum sit, calumniæ statim adiunge-
re fidem, profecto nimis ineptum,
ac uiro indignum est, & contra ius
agitur. Decet enim bonum & inge-
nuum

X
num uirum omnes. occasiones ue-
ritatis diligenter inuestigare nec le-
uem ob causam amicum calumnia
circumuentum, deserere eumq; su-
spectum habere. Vnde uenustissi-
me Horatius inquit:

*Absentem qui rodit amicum
Qui non defendit alio culpante, Solutos
Qui captat risus hominum, famamq; dicacis,
Fingere qui non uisa potest, commissatacere.
Qui nequit, hic niger est, hunc tu Romane caueo.*

Nam qui non defendit, tam est
in uitio, & niger censendus, quam
ipsemet calumniator, quem tamen
summo studio quasi pestem fugere
& cauere debemus.

Sed horum omnium una igno-
rantia fons, & origo est, ac tenebrae
illae sempiternae, offusae hominum
mentibus, quas Deus, pater aeter-
nus Domini nostri Iesu Christi uer-
bo suo uero regere, & luce clarissi-
ma

ma Euangelij illuminare dignetur.
Quod si fecerit, futurum est, ut Ca-
lumnia in Gades extremas relegetur,
expellatur, & penitus eua-
nescat.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.



29 4182


ULB Halle 3
004 974 59X


TA → OL

m.c.







DE NON

TEMERE CALVM

nñs credendo, Breue
scriptum Viti
Ennñ.



Norimbergæ apud
Ioh. Petreium,

1549.

